

dispositum, ut dominus territorii eos patienter tolerare, & conscientia libera domi devotioni suæ, sine inquisitione privatim vacare, in vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, permittere debeat; ita similiter hujusmodi subditis liberam domicilii mutandi facultatem competere puto, cum alias tolerantia nullius pretii esset, si ad emigrandum cogi possent. Conf. Dn. Rhet. *diss. Jur. publ. 2. d. Jur. Stat. Imp. circ. sacra. c. 4. n. 11. sqq.* Posteriori vero casu 36 voluntariam illam emigrationem in necessariam mutari certum est, eoque pertinent §. 36. ibi: *si a Domino territorii emigrare jussus fuerit* & §. 37. ibi: *sive voluntarie sive coacte emigrantes d. art. 5. Instr. pac. quemadmodum hæc latius deducit Knipschild. d. Civit. Imp. l. 2. c. 3. n. 165.*

Sed utrum hæc domicilii mutatio absque consensu 37 Magistratus fieri possit, jam investigandum. Sane quin ille, qui aliò domicilium suum transferre vult, discessum suum, Magistratui, cum ejus intersit nosse civium numerum, indicare teneatur, extra dubitationis aleam positum esse existimo; vid. Pufendorff. *d. l. 8. c. 11. §. 3.* Verum ab hac indicatione discessus ad necessitatem consensus Magistratus argumentum tutò duci non posse Ddres statuunt, dum invitis etiam Magistratibus domicilium mutari, ac de uno in alium locum transferri posse uno ore concludunt. Myler. *d. Princip. Imp. c. 63. §. 4.* Mev. *ad Jus Lub. l. 1. tit. 2. art. 2. n. 69.* Schepliz. *ad conf. Brandenb. p. 4. tit. 14. §. 1. n. 8.* Manz. *dec. Palat. qu. 18. n. 18.* ibique alleg. add. *Lauterb. d. domic. c. 9. n. 214.* Ut 39 ut enim ad constitutionem domicilii Magistratus con-

D

sensus